

AD PINDARI *OL.* 1, 28–29 ADNOTATIONES QVAEDAM

Fit nonnunquam, ut quae quondam a viris doctissimis vel excogitata sollertissime, vel explicata sunt elegantissime, de quibus longo iam tempore probatis nemo nisi homo prorsus litterarum expertus dubitare vel fidem eis abrogare posse videatur, ea tanquam exculcata atque obsoleta repudi-entur eisque veris certisque alia quaedam mira novitatisque durae nescio quo pacto praeponantur. Quae omnia si tironum solum, qui dum rudimenta antiquitatis cognoscendae prima ponunt, siquid compositi ac quieti rep-eriant, statim in dubium id vocare solent, nugae essent, excusationis aliquid fortasse haberent. Sunt tamen quaedam, quae etiam e virorum doctorum, quos hoc fecisse multo magis miror, operibus scientia solida ac profunda plenis spectatorum, quibus viris satis superque huic studio insudatum est, officina exeant. Quale est, quod nuperrime nobis opuscula recentiora in libellis periodicis edita legentibus in manus incidit.

Nam *Hyperborei* voluminis undecimi fasciculo secundo Victoris Streicheri viri doctissimi Vindobonensis commentariolum insertum in lucem prodiit, cuius in paginis Pindari versus notissimi (*Ol.* 1, 28–29) magna cum ingenii acumine sagacitateque explicantur.¹ Quo Pindari loco tanta variarum opinionum enata multitudo tam diligentissime a viro omnis generis doctrina imbuto, veterum recentiorumque latebris lustratis, excussa atque expensa est, ut a hac materia denuo pertractanda liberatus mihi viderer.

Nam omnia, quae ad rem spectant – Lexicographos, Scholiastas, qui haud minimi momenti in hac re sunt, aliosque grammaticos veteres nec non editiones commentariosque in poetam Thebanum novissimos proprio studio vir Vindobonensis pervolvit atque in lectorum iudicium longe quidem minore fructu quam labore deduxit. Disquisitionis totius cardo in versu 28 b perpendendo versatur, unde apparet veterum explicandi errores ne recentiores quidem Pindari interpretores effugisse.²

¹ V. Streicher, “Irrtümer im Gerede der Menschen oder Kleine Textkritik zu Pindar *Ol.* 1, 28–29”. Vide *Hyperborei* voluminis 11 fasciculum 2, qui a. D. 2005 in lucem prodiit, pp. 181–191.

² *Ibid.*, p. 182. Fac videas praesertim p. 188.

Virum sane eruditum ac multae lectionis, ut ea imprimis dicam, de quibus cum eo consentio, rectam viam ingressum φάτις voculam, emendationibus vanis pravisque interpretationibus refutatis atque reiectis, pro nominativo in singulari numero posito, optimis libris manu scriptis subnixum acceperisse lectori praemonendum est.³ Quo factum est, ut carminis forma, qua Streicher nititur, a Brunonis Snell ac Hervici Maehleri editionibus nihil discreparet, utpote:

28 b ἡ θαύματα πολλά, καὶ πού τι καὶ βροτῶν
φάτις ὑπὲρ τὸν ἀλαθῆ λόγον
δεδαιδαλμένοι ψεύδεσι ποικίλοις
ἐξαπατῶντι μῦθοι.

Hactenus nulla inter nos dissensio. At displicet haec textus forma Streichero, qui in verbis φάτις ac μῦθοι inter se coagmentandis haesit. Quae cum ita sint, impedimenta interpungendo ita dissolvenda esse putat, ut φάτις substantivo a praepositione, quae id sequitur, puncto interiecto seiuncto, locum sic legamus:

28 b ἡ θαύματα πολλά, καὶ πού τι καὶ βροτῶν
φάτις ὑπὲρ τὸν ἀλαθῆ λόγον κτλ.

Quae quamvis scite eleganterque excogitata vel potius, quod sit cum honore multo dictum Victoris Streicheri, viri eruditissimi, argutiora quam veriora esse videntur, nullo pacto probari possunt. Totus enim ab hac falsa opinione absum. Quid enim emolumenti habebimus, si propositionis membris disiunctis dissociatisque, nihil aliud nisi sententiam languidam ac ieiunam acceperimus? Vel quid in lucris ponere poterimus, si pro argutiis Pindaricis ingenuissimis enarrationem frigidam otiosamque obtinuerimus? Idem, quod sciam, Aimé Puech,⁴ cetera vir emunctae naris fecerat, qui in editione sua anno 1922 Lutetia Parisiorum in lucem edita saepiusque postea repetita retineri non potuit, quin versum 28 b post λόγον vocem distingueret. Cuius inventum paris notae ac Streicherianum mihi videtur. Quid enim refert, utrum verba ὑπὲρ τὸν ἀλαθῆ λόγον ad φάτις voculam an ad μῦθοι asseramus, propterea

³ Videntur adeo fuisse, qui pro φάτις voce aliam κόρος scribere mallent, ut ex Wilamowitzio, qui hoc nugarum doctarum auctarium in Pindaro suo p. 235 reiecit, comperimus.

⁴ *Pindare, tom I. Olympiques*. Texte établi et traduit par Aimé Puech (Paris 1970) 27.

quod in utroque casu sententia adhuc integra, tanquam navis undis violentibus abrepta, fluctibus saevientibus diu mulcata, scopulisque denique illisa, frangitur ac in duas partes misere dilabitur, quarum utramque quam nihil aliud nisi naufragii reliquias dicas ad navigandum parum aptam esse vix dubitari potest.

Itaque de hac re non possum, quin a Streichero plane dissentiam. Nullus enim dubito, quin locus non tam per se obscurus lectione difficiliore servata intelligi possit. Nam si locutionem βροτῶν φάτις ad μῦθοι vocem, quae hic subiecti vice fungitur, pro apposito acceperimus, sententia tota nullo negotio explicabitur. Poetam Thebanum haud semper normam et quasi artis grammaticae amussim verborumque ordinem strictum in sermone struendo asservare inque hyperbatis aliquando asperioribus mirum quantum oblectari nemini intelligenti obscurum esse potest.⁵ Quo tamen res dilucidior sit, liceat nobis in Pindari versibus periphrasi uti: “ἡ θαύματα πολλά, καὶ πού τι καὶ μῦθοι – βροτῶν φάτις, – δεδαιδαλμένα ὑπὲρ τὸν ἀλαθῇ λόγον ψεύδεσι ποικίλοις, ἐξαπατῶντι”, qui loquendi circuitus, – ignoscant velim Musae huic licentiae meae, – sic Latine reddi potest: “revera miracula permulta (dixerit quispiam) et fortasse fabulae mendaciis commentisque supra veritatis modum exornatae, quae nihil aliud nisi rumores mortalium sunt, fallunt ac decipiunt”. Vide nunc quam apte omnia conveniant!

Qua in re ita tractanda ac explicanda me longe non primum esse haud infitior. Cuius interpretationis, quod sciam, Godofredus Hermannus ille dux et princeps philologorum in Ludolphi Dissenii carminum Pindaricorum recensione auctor fuit. Nam Dissenius in Olympicorum primo retrahendo, ne alia dicam, cum multis aliis tum maxime verbi φάτις nominandi casu in accusativum singularem, cuius rei libri manu scripti deteriores nonnulli sunt testes, mutato ultro Hermanno ad reprehensionem ansam dedit. Qui Dissenii lectione deposita, quam grammatici cuiusdam, qui serioribus puto antiquitatis temporibus appositionis apud Pindarum figuram usitatissimam non agnovisset, commentum esse putavit atque ad nominativum reverti recte suadendo luce clarius omnibus demonstravit quonam modo salva lectione Pindarica res optime expediri posset.⁶ Facere non possum, quin verba ipsius apponam: “Ganz dasselbe gilt von Vs. 28., wo auch Hr. D. φάτιν vorzieht, obgleich, wer die Stelle unbefangen betrachtet,

⁵ Cuius rei uno solum, ut alia missa faciam, exemplo, quod paulo infra in versibus 36–41 eiusdem Olympiaci primi nobis occurrit, defungi velim.

⁶ *Pindari Carmina quae supersunt* cum deperditorum fragmentis selectis ex recensione Aug. Boeckhii. Commentario perpetuo illustravit Ludolphus Dissenius,

sehen muss, dass dies die Emendation eines Grammatikers ist, der die Apposition, eine dem Pindar so gewöhnliche Figur, von der selbst dieses Gedicht allein mehrere Beispiele enthält, nicht begriff, weil Pindar nicht ἐξαπατᾷ, sondern in Rücksicht auf das durch Apposition hinzugesetzte μῦθοι gleich ἐξαπατῶντι geschrieben hat".

Itaque neque de casibus mutandis neque de versibus distinguendis, quod nobis nunc maximi momenti esse videtur, virum praeter ceteros doctissimum cogitavisse non est, quod dicam. Cuius rei Streicherum haud inscium esse opusculi ipsius pagina 186 nos certiores facit.

Nonaginta ferme annorum spatio interiecto Wilamowitzius nos idem egregie docet, qui cum Hermannō consentiens sic Pindari verba Germanice vertat: "Wunder gibt es viel, und das Gerede der Menschen, Geschichten, die ueber Wahrheit hinaus mit bunten Erfindungen ausgeschmueckt sind, taeuschen usw.", unde locum nulla manu imponenda egere apertissime patet.⁷

Gnarum hoc Streichero, ac nihilominus, immo tanto magis perstat in sententia sua. Nam hac levi mutatione vel potius signi additamento omnem huius loci difficultatem, quae ei in opinionem venit, tolli putat. Cur omnino res tam perspicua ac dilucida, praesertim cum a Hermannō nec non Wilamowitzio optime esset illustrata, per tot annos tot viros doctissimos ac de poeta Thebano emeritissimos, quorum nomina apud Streichero videre licet, quorumque in numero nunc ipse habendus est, adeo fugerit, ut utriusque viri doctissimi acutissima interpretatione despecta, alii alias vias tentare ausi in opinionum certamen descenderent nunc quaerere causa idonea non est. Quos quidem perperam iudicavisse ne levissima quidem dubitatio relinquitur.

Sed haec hactenus. Nam plura dicere, quibus hoc nostrum tuear, supersedeo. Itaque nec versus, qui nulla obscuritate laborat, interpunctionem non pati, neque nominativi singularis formam quam B. Snell ac H. Maehler editiones representant, retinendam esse non censeo.

Quod autem vir Vindobonensis obiectum, quod de verbo ἐξαπατᾷν pendeat, magnopere desiderat, errare videtur, quia hic a poeta Thebano in universum praedicatur.⁸

prof. Gotting. (Gothae et Erfordiae 1830). Fac videas Godofredi Hermannī *Opuscula*, vol. VI (Lipsiae, apud Ernestum Fleischerum, 1835) 35. Ab Hermannī sententia ne L. R. Farnell quidem Commentario suo Pindarico (*Critical commentary to the works of Pindar* [Amsterdam 1965] 6) abhorreere videtur.

⁷ Vide Wilamowitzium in Pindaro p. 235 adn. 1. Quod ne Streicher quidem silentio praeteriit.

⁸ Vide Streicherum p. 188.

Quae denique de θαύματα forma, quam prosodia scribenda esset, vir Vindobonensis magna cum subtilitate exposuit, quamvis subtiliter neque invita fortasse Minerva excogitata, omnia missa facio.

Andreas Tischow
Universitas Petropolitana

Оспаривается предложение Виктора Штрайхера (*Hyperboreus* 11 [2005]: 2, 181–191) решить синтаксические трудности пассажа Пиндара (*Ol.* 1, 28–29) разделением стиха 28 в колоном после слова φάτις.

legendum:

p. 6, n. 11	Aristarchus
7, l. 3	π<ε>ιστέον
7, l. 4	εἰ καὶ δοκεῖ
8, l. 4 <i>a fine</i>	Codex Angelic.
8, n. 23	see S. West in:
8, n. 27	A. R.
12, n. 4	<i>tome</i> [...] établi
13, l. 3	quarum utramque nihil
14, l. 2–4	gewöhnliche [...] enthält [...] Rücksicht
16, n. *, l. 4	Charalambos
16, n. 1, l. 3	Archaisme
16, n. 2, l. 4	<i>Inscriptions</i>
19, n. 9, l. 2	<i>Athènes et Chypre à</i>
21, n. 20, l. 2	<i>d'Achoris à Karnak</i>
22, n. 26	archaïque
25, n. 41	nachlässig [...] glückliche
26, n. 55, l. 1	à l'étude
26, n. 55, l. 4	ΑΠΑΡΧΑΙ
33, n. 15, l. 7	in this same note
33, n. 16, l. 3 <i>a fine</i>	μὲν
43, n. 6	$\Rightarrow d^2 = (r+h) \times (h+x)$
51, l. 8 <i>a fine</i>	diminuant
55, l. 7	« vice
56, l. 9	le cas
91, n. 1, l. 3	πρακτικὴ
94, n. 2, l. 6–7	πλῆθος [...] Χριστός
102, n. 28, l. 2	αὐτὸν
103, n. 29, l. 20	οἱ
103, n. 29, l. 3 <i>a fine</i>	βεβαιούμενοι
104, n. 30, l. 4 <i>a fine</i>	<i>Refutatio</i>
108, l. 6	ἐναντίον
109, n. 47, l. 5	ἄγνωστον
112, n. 59, l. 5	что Ириней мог
113, n. 59, l. 6	etwa
144, n. 4, l. 5–6 <i>a fine</i>	изначально
145, n. 7, l. 4	Zürich
146, n. 9, l. 3	и “богословие”
147, n. 12	d’où [...] systèmes [...] siècles

legendum:

p. 6, n. 11	Aristarchus
7, l. 3	π<ε>ιστέον
7, l. 4	εἰ καὶ δοκεῖ
8, l. 4 <i>a fine</i>	Codex Angelic.
8, n. 23	see S. West in:
8, n. 27	A. R.
12, n. 4	<i>tome</i> [...] établi
13, l. 3	quarum utramque nihil
14, l. 2–4	gewöhnliche [...] enthält [...] Rücksicht
16, n. *, l. 4	Charalambos
16, n. 1, l. 3	Archaisme
16, n. 2, l. 4	<i>Inscriptions</i>
19, n. 9, l. 2	<i>Athènes et Chypre à</i>
21, n. 20, l. 2	<i>d'Achoris à Karnak</i>
22, n. 26	archaïque
25, n. 41	nachlässig [...] glückliche
26, n. 55, l. 1	à l'étude
26, n. 55, l. 4	ΑΠΑΡΧΑΙ
33, n. 15, l. 7	in this same note
33, n. 16, l. 3 <i>a fine</i>	μὲν
43, n. 6	$\Rightarrow d^2 = (r+h) \times (h+x)$
51, l. 8 <i>a fine</i>	diminuant
55, l. 7	« vice
56, l. 9	le cas
91, n. 1, l. 3	πρακτικὴ
94, n. 2, l. 6–7	πλῆθος [...] Χριστός
102, n. 28, l. 2	αὐτὸν
103, n. 29, l. 20	οἱ
103, n. 29, l. 3 <i>a fine</i>	βεβαιούμενοι
104, n. 30, l. 4 <i>a fine</i>	<i>Refutatio</i>
108, l. 6	ἐναντίον
109, n. 47, l. 5	ἄγνωστον
112, n. 59, l. 5	что Ириней мог
113, n. 59, l. 6	etwa
144, n. 4, l. 5–6 <i>a fine</i>	изначально
145, n. 7, l. 4	Zürich
146, n. 9, l. 3	и “богословие”
147, n. 12	d’où [...] systèmes [...] siècles